



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 87. Joannis Mariæ Gabriellii Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. octogesimo quinto decederet: Hære-
 A. C. 1711. dem numeratæ pecuniæ scripsit Nico-
 laum ex Sorore Nepotem, & aliam
 omnium suorum bonorum. Post eius
 obitum publicis typis prodire duobus
 voluminibus decisiones Rotæ Romanæ
 ab eo collectæ.

§. LXXXVII.

*Joannis Mariæ Gabrielii Cardinalis
decessus.*

*Hist. Lexic.
Univ.* Alter erat Joannes Maria Gabrielius
 Citte ex nobilissimis, tenuis tamen
 fortunæ Parentibus Tiferni natus, qui
 sub Avunculi sui cura Romæ liberali-
 bus disciplinis egregie excultus, studia
 Philosophiæ secutus est, tantosque pro-
 fectus fecit, ut nondum emenso decimo
 quinto ætatis anno in pluribus pu-
 blicis disputationibus præclara erudi-
 tionis & industriæ suæ specimina edi-
 derit, ipsis etiam Præceptoribus suis,
 aliisque Viris clarissimis atque acutissi-
 mis præcoci ingenii maturitatem ad-
 mirantibus. Annum agebat decimum
 septimum, dum sanctioris vitæ desi-
 derio incitatus, in Congregatione S. Ber-
 nardi Ordinis Cisterciensis Religiosam
 vitam profitebatur. Exacto rite tyro-
 cinnio, cum non modo ob Monasticæ
 disciplinæ observantiam, sed etiam Do-
 ctrinæ

Strinæ excellentiam omnibus admira- Sæc. XVIII.
 tioni esset, Philosophiam & Theolo- A. C. 1711.
 giam Polemicam inter suos per viginti
 omnino annos summo cum applausu
 interpretatus est, & non raro mira e-
 loquentia Sacras orationes declamavit:
 Enimvero nil amplius in votis habebat,
 quam ut tranquillam in inferioribus Re-
 ligionis officiis, atque in literario pul-
 vere vitam ageret, suorum tamen me-
 ritorum suffragio, invitus licet, su-
 prema sui Ordinis munia, Visitator,
 postea Procurator Generalis, ac de-
 mum supremus Congregationis Præ-
 positus obibat, dictus Abbas Generalis.
 Ad dignitatum mensuram crescebat me-
 ritorum copia, cumque in Jurispruden-
 tia Canonica, & Historia Ecclesiastica
 profundam haberet eruditionem, In-
 nocentius XI. eidem Episcopatum obtu-
 lit, quem tamen, aliasque sibi vix
 non obtrusas dignitates modesto, con-
 stantique animo recusabat: Obtempe-
 rare tamen cogebatur Alexandro VIII.
 Pontifici, a quo inter Consultores S. Con-
 gregationis Indicis adscriptus, ab In-
 nocentio XII. postea S. Inquisitionis
 Qualificator, ac Collegii de Propa-
 ganda Fide Præfectus studiorum re-
 nuntiatus est: Moderabatur tum quam-
 dam disputationem in præfato Colle-
 gio, dum Nuntius adventat de obtenta

Sæc. XVIII. Purpura Romana, quam idem Pontifex
A. C. 1711. fex urgente Sfondrato Cardinale, mi-
 minus ominanti contulit: ipse vero
 perinde ac si illum ea res non respice-
 ret, nihil animo turbatus, sed omnino
 tranquillus inter suas theses sedulam
 nec interruptam disputando navabat
 operam, & disputationem iterum atque
 iterum prosequendam præcipiebat, donec
 nec Nobiles ac Præsules undequaque
 affluentes, novamque ei dignitatem
 gratulantes disputationi finem impone-
 rent. Soli Gabrielio visa erat Purpura
 non tanquam splendidum honoris in-
 signe, sed velut novum virtutis, laboris
 risque incitamentum; ab eo enim tem-
 poris momento totum sese Ecclesie Ro-
 manæ obsequiis majore adhuc ardore
 consecrabat, & fex insuper Sacris Con-
 gregationibus adscriptus, in gravissi-
 mis fidei, Sedisque Apostolicæ nego-
 tiis indefessus consenuit, donec in op-
 pido Caprarolæ, quo se ad reficiendas
 vires contulerat, die decima septima
 Septembris animam Deo redderet, an-
 nos natus quinquaginta septem. Scripsit
 plurima, suppresso tamen nomine suo
de Catholica doctrina, impugnavit quoque
 eruditissimo opere doctrinam Fe-
 nelonii Cameracensis Archiepiscopi,
 exstat insuper ejus apologia pro libro
 Sfondrati Cardinalis.

§. LXXXVIII